DE SACERDOTUM VITA CENTURIA RHYTHMICA

Vita Sacerdotum sit candida, plenaque Dotum:
Qui Instructoris eget, carmina nostra leget.

Christi appellantur; nomenque, & gesta sequantur:
Imo vocavit eos & Deus ipse Deos.

Præcones Verbi non debent esse superbi:
Ast humiles fiant: Biblia Sacra sciant.

Præcaveant cuncti Sacrosancto Chrismate inuncti,
Ne levis ambitio sit sua perditio.

Quum sint Sal Terræ, debent sapida omnia ferre,
Præservare malis corpora more Salis.

Erudiant gentes, sint docti, sint sapientes;
Quod grave substineant, quod placet abstineant.

Non sint infecti; sit eis mens conscia recti,
Sollicitudo Chori, nullaque cura Fori.

Non sint inculti, parcant patienter inulti,
Ludrica deponent, seria verba sonent.

Non sint audaces, non sint avidi, atque rapaces;
Est tondère decus, glubere turpe pecus.

Non iracundi, sed mente & corpore mundi;
  Munus honorificent, moribus ædificent.

Sint dociles, mites, fugiant certamina, lites;
  Qui pacem quærit, dignus habendus erit.

Sintque Duces Patriæ æternæ, Mundique lucernæ,
  Sitque inimica Venus, labis & omne genus.

Sintque canes, sed non muti, gregis usque saluti
  Invigilent, latrent; nil puerile patrent.

Utque animas ditent, Mundi solatia vitent,
  Vitent desidiam, sed magis invidiam.

In Cœlum statuant thesaurum, vile sit aurum;
  Ne bona ficta colant; Nam fugitiva volant.

Servent jussa Dei; Sint parci ad dona lyæi,
  Sobrietate placent: improbitate vacent.

Et caste, & caute discant non vivere lautè:
  Ut Medicina docet, mensa opulenta nocet.

Pascant ærumnis plenos, miserentur egenos;
  Prosint consilio, sed magis auxilio.

Lectio moralis, meditatio spiritualis,
  Lucra animæ ampla ferunt, saxea corda terunt.

Turpe Sacerdoti venari, turpe vagari,
  Turpe & adulari, servitioque dari.

Advertas recte, cœlesti pane refecte,
Magnus ut ipse reus, magnus at ille Deus.

Ille Dei magnus candorem postulat Agnus,
Integer accedas, & reverenter edas.

Ut comedas dignus sacrum venerabile pignus,
Sit purus Zelus, sit procul omne scelus.

Ad ludos nec eas, plateasque, theatra choreas:
Talia devitant, qui sacra liba litant.

Sitque exemplaris, quem Christus destinat aris.
Scandala nulla ferat, gesta gerenda gerat.

Si sint Pastores, studeant componere mores,
Et Chtisti legem rite docere Gregem.

Sacri Oratores, Evangeliique Satores,
Quæ facienda monent, quæ fugienda tonent.

Pro Populis orent, Populorum crimina plorent,
Sydera clara prement, si ausa nefanda gement.

Discant Prælati sacra ad Mysteria nati,
Discant Curati pro Grege plura pati.

Hoc sibi proponant, hoc imo in corde reponant,
Pro Grege se exponant, ut Sacra Scripta sonant.

Quisque Sacerdotum caveat ne Turba Nepotum
Ad Phlegetontæos cogat adire reos.

O rem præclaram purus qui accedit ad aram!
Corde pudicus erit qui vasa sacra gerit.

Si fueris castus, deludes Dæmonis astus;
Te decet illimis, mundaque vita nimis.

Et bonus ut perstes, donec tibi vita superstes,
Christum imitare Ducem, tollere disce Crucem.

Disce Tridentinam Synodum, Synodumque Ephesinam,
In Canonum ludis ne videare rudis.

Despice lucrari, fugias grave nomen avari;
Ne locupleteris, fœnoris osor eris.

Ut teipsum noscas, à Cœli Principe poscas;
O quam dulce frui cognitione sui!

Cognitus est vere studuit quicumque latère:
Sol sub nube latet, lux tamen indè patet.

Persæpe, ac totis meditare novissima votis,
Quum noster finis sit vapor, umbra, cinis.

Umbra, vaporque sumus; quidnam vapor est? Nisi fumus?
Et nihil est fumus: nos nihil ergo sumus.

Est Animæ Clypeus fortis meditatio mortis;
Judicii esto memor; sit timor, atque tremor.

Quot sunt, & quot erunt, & quot simul ante fuerunt,
Sistere quisque reum se paret ante Deum.

Reddet gestorum rationem quisque suorum:
  Omne malum, omne bonum Judicis ante Thronum.

Tormenta immitis meditare atrocia Ditis;
  Est à peccatis abstinuisse satis.

Oh quot ad æterni pœnas labuntur Averni!
  Propter luxuriam, pestiferam furiam.

Hæc lege, lecta tene, lacrymis laxantur habenæ,
  Ne sint mixta malis, sit tibi cura salis.

Perpende æternas flammas, perpende supernas
  Delicias, Cœlos, Cœlicolumque melos.

Hoc unum usque putes, hoc unum mente volùtes,
  Astra parare tibi, vivere & hic ut ibi.

In corde incisus tibi sit semper Paradisus,
  Sit mens fixa Polo, sitque aliena solo.

Hic Pastoralis gradus est, sit vitaque talis;
  Pastor eritque bonus quisquis adimplet onus.

A. S.

ROMÆ MDCCCVII.
EX TYPOGRAPHIA SANCTI MICHAELIS AD RIPAM
APUD LINUM CONTEDINI
Superiorum Facultate.